

Q. N. 352,62.

DE  
DEXTRA MANU, SINISTRA  
HONORATIORE  
BREVITER DISSERIT  
SIMULQVE  
AD AUDIENDAS  
ORATIONES  
VALEDICTORIAS  
DUORUM JUVENUM

SPEI ET EXPECTATIONIS OPTIMAE

DIE XI. JUNII MDCCLVI

HORA A MERIDIE SECUNDA HABENDAS

PATRONOS ET FAUTORES  
SCHOLAE ANNAEAE VENERABILES

EA QVA DECET REVERENTIA

INVITAT

M. GOTTHELFF CONRAD GOLDSCHAD  
RECTOR.

D R E S D A E

TYPIS JOANNIS GUILIELMI HARPETERI.

II h  
546







§. I.



Supremus rerum omnium fator atque opifex, cum hominem, nobilissimum inter res creatas artificium conderet, variis eum membris secundum immensam suam sapientiam exornavit, quæ tam interne, quam externe geminata deprehenduntur, de quibus nemo fere ignorat, neutrum ex his supervacaneum aut otiosum a Deo factum, sed potius, ut alteri, alterum opem ferat, vires ejus ad obeunda munera augeat, atque finem, quem divina sapientia intendit, perficiat ac absolvat. Verum enim vero, de omnibus, quæcunque Deus Optimus Maximus in hominum corpore geminavit membris, haud quisquam poterit negare, dextra sinistris esse digniora. Quis enim unquam fuit, qui primas auri, oculo, pedi, aliive membro, in dextro latere constituto, non concefferit? Dextram præcipue manum apud omnes pene gentes sinistra honoratiorem offendimus, quæ non solum usæ, quando sacros, aut alios, notatu dignos actus exsequi, susciperent, sed ad eam quoque, nisi tertius accederet, collocarent, quemcunque præcipuo vellent adficere honore. Præfens itaque tempus, quo dextræ Dei memoria, ad quam humana Christi natura exaltata, plenarium divinæ majestatis, gloriaeque usum est nacta, omnium mentes adhuc occupat, animum  
impu-



impulit meum, ad breviter differendum, penes quas gentes, ac quibus ex causis dextra manus sinistra fuerit honoratior.

§. 2.

Hebræos, qui inter prisca gentes sine dubio palmam tenebant, honorem, quo alterum merito adficiendum censerent, non alio signo, nisi ut dextræ eum jungerent, declarasse, tam ex sacris litteris, quam ex Judæorum scriptis patet. Locus princeps, quo potissimum hæc consuetudo in sacro codice confirmatur, Psalm. XLV. v. 10. invenitur, ubi divini carminis auctor gloriam cœlestis Regis Messîæ, ejusdemque sponsæ Ecclesiæ dignitatem describens, vaticinatur: *Regina consistit ad dextram tuam, in auro optimo Ophiris.* Quæ verba non nisi de summo honore, cujus conjux Regis Messîæ Ecclesia, particeps facienda, ab omnibus fere interpretibus fuerunt explicata. (\*) Ad dextram enim summi stare, est summi honoris secundum summum. (\*\*)

(\*) conf. Geieri Comment. in Psalmos p. 803. Molleri Prælectiones p. 371. Brentius in brevi & perspicua Explic. Psalm. Dec. V. p. 134.

(\*\*) Coccejus in Commentario in Psalm. p. 205.

§. 3.

Huic loco convenienter subjungendum sapientissimi Regum Salomonis exemplum esse, censeo, quippe qui 1. Reg. II. 19. non obstante regia dignitate matrem suam Bathsebam summa filii observantia prosequutus, sedens in solio regio, matris sedem proxime se ad dextrum latus collocari jussit, quo facto aperte voluit ostendere, se matrem maximo honore dignam existimare, cum loco post Regem honoratissimo eam constituerit. (\*) Tandem etiam minime absim, quia illorum sententiæ adsentiar, flautentium, quod gentis Israëlitiçi parens Jacobus Gen. XXV. 18. natu minori ex Rahele edito filio nomen *Benjamin*, hoc est, *fili dextræ* imposuerit, eandem ob causam, ut hoc ipso nomine declararet, fore, ut is filiorum minimus, in senectute sua, honora-



tarcho quoque in Catone Uticensi refert, *victrices dextras imperatorum, ob fortia facinora milites deosculari, apud Romanos patrii moris fuisse: pedes vero nunquam.* Apud Lingones quoque servatum, Cornelius Tacitus Lib. 17. perhibet, ut dextræ effigies hostiis symbolum ferret, & incolumitatis tesseram. Sinistram vero attigisse, ominosum erat & infortunii loco habitum.

(\*) Genial. Dierum Lib. II. c. 19. p. m. 430.

§. 8.

Auguria apud Græcos dextra, apud Romanos vero sinistra fuisse salutaria, cum ex aliorum, tum ex Ciceronis scriptis discimus. (\*) Ratio vero cur his sinistra, illis e contrario dextra censerentur digniora, hæc erat: Augures Græci cum se ad septentrionem obverterent, ortum ad dextram habuere; Romani cum meridiem in auspicando intuerentur, ortum ad lævam. Itaque sinistrae partes eadem sunt Romanis, quæ Græcis dexteræ ad ortum; contra dexteræ Romanis ad occasum, lævæ Græcis infelices. Itaque Romani cum sinistra bene nominata, dextera tristitia vocant, more suo loquuntur: cum sinistra mæsta, dextera læta, more Græcorum. (\*\*)

(\*) Lakemacheri Antiquit. Græc. Sacræ p. 545. Rosini Antiquit. Rom. p. m. 200. Cic. de divinat. Lib. II. c. 36.

(\*\*) Pitiscus in Lexico Antiquitat. Tom. I. p. 207.

§. 9.

Dexteram itaque inter plurimas gentes honoratiorem sinistra perspeximus, quam consuetudinem etiam Germani secuti, cum in privatis negotiis, tum publicis eam exercere solent. (\*) At id quidem Turcarum moribus nefas habetur, de quibus Busbequius docet: (\*\*)  
*digniore apud eos haberi locum sinistrum, nisi quid aliud obstarat: cuius rei causam afferunt, quod eam partem gladius honestet; & qui sit in parte dextera, quodammodo gladium habeat sub manu ejus, qui sinistrum latus claudit, ille vero eum gestet liberum & expeditum.* Et Xenophon in Pædia Cyri Lib. VIII. refert: Cyrum singulari prudentia viros adhibitos convivas,

vas,



vas, quo honoratius exciperentur, in sinistra locare solitum, eamque partem, velut cordi affinem, digniorem duxisse: licet alias Persæ si quid firmum, illibatamque volebant, illud dextræ & fidei pignore sancirent, nihilque apud eos fide esset antiqvius. (\*\*\*)

(\*) vid. Wildvogelii dissertat. de jure manus dextræ.

(\*\*) in Epp. de rebus Turcicis Ep. I. p. m. 23.

(\*\*\*) conf. Diodorus Siculus Lib. XVI. c. 10. Corn. Nep. in vita Datamis c. X.

§. 10.

Ratio vero, quam ob rem dextra sinistra præripiat palmam, haud datur una, sed plures. Uti enim hominis pars dextra omnino agilior ac robustior esse solet sinistra, ita sigillatim quoque fuit Symbolum roboris, potentiae ac virtutis. Hinc exercitus ad dextram plerumque robur belli appellatur. (\*) Et Virgilius Mezentius, dextra nimium confusus, protervo evomit ore verba: (\*\*)

Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro,  
Nunc adsint.

Et quis est, quem fugiat, sacras litteras etiam Deo O. M. ad designandam potentiam, majestatem, ac gloriam divinam per ἀνδρωποπόδειαν dextram tribuere? quin & Dei filium Patris dextram in conservanda ac dirigenda hujus universi machina, a viris Θεοπνεύστοις passim appellari? (\*\*\*) Jacobus itaque Filios Josephi, cum faustos, fortunatosque esse juberet, divinoque afflatu præmonitus, intelligeret, Ephraimum minorem natu futurum esse majorem ac potentiozem Manasse, dextra illi imposta fausta quævis precatus, summum posteris felicitatem, divina gratia anuente, est ominatus. Genes. XLVIII, 14.

(\*) Dannhaueri Hodosoph. p. 769.

(\*\*) Aeneid. Lib. X. v. 773.

(\*\*\*) conf. Sviceri Thesaurus Ecclesiast. p. 838.

§. 11.

Dextera tam ex ritibus Græcorum quam Romanorum sanctissimum *fidei, pacis, amicitie* pignus censebatur; ut propterea fœdera ad sacras aras, Dii testibus firmata, victimarum sanguine signa-



X 337 2942

546

signata, & dexterarum sanctissimis pignoribus roborata, inconcussa omnino haberentur, & rata crederentur; atqve contra præscripta foedera operari, sacrilegum ab omnibus existimaretur. (\*) *Dextera submissionis* Symbolum. *Hinc dexteram alicui dare* est victoriam concedere, seque alii submittere. (\*\*) *Dextera* & in Symbolum sponsaliorum, valebat. (\*\*\*) *Dextera* quoque, teste Cicerone, hospitii & concordiae tessera. (\*\*\*\*)

(\*) Fr. Scacchi Sacror. Elæochrism. Myrothecia tria p. 1125.

(\*\*) Svicerus l. c. p. 837. Pitiscus Tom. II. p. 37.

(\*\*\*) Pfeiferi Antiquit. Græc. p. 627.

(\*\*\*\*) in Orat. pro Rege Dejot. & Lib. I. Divinat.

Plura addere animus erat, sed pagellarum ratio prohibet, ac coronidem imponere, simulque occasionem indicare me adiminet, qva de causa hæc qualiscunqve commendatio fuerit suscepta. Duo nimirum bonarum artium cultores, munere discipulorum in Schola nostra omni dexteritate perfuncti, ad Scholas superiores, qvæ Lipsiæ patent, aditum meditantur. Multorum vero, qvæ a civibus in eos profecta sunt beneficiorum haud immemores, gratias publice exsolvere constituerunt. Prodituri itaque

JOH. GEORGE SCHWENCKE, Hausdorffens. Misn. Oratione latina exponet: *Neminem adeo ferocem esse, qui non mitescere possit litteris, quem*

JOH. CHRISTOPH. GUNTHER, Seligstad. excipiet, carmine vernaculo deprædicaturus: *Murum abeneum esse, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

Qvo finito, & suo & antecedentis commilitonis nomine, ultimum vale urbi, & præceptoribus acclamabit. Tandem

JOH. CHRISTIAN VETTER, Stolpens. fermone latinis verbis habito: *a Deo solo tutissimum rebus in adversis sperandum esse præsidium*, abiturientium discessum piis votis persequetur.


Quem Actum, ut bonarum litterarum Fautores honorifica sua dignentur præsentia, ab *lisdem* omni qva par est observantia contendimus.

Dab. e Schola Annæa d. XI. Junii. A. O. R.

MDCCLVI.







B.I.G.

Farbkarte #13

II h  
546

DE  
 A MANU, SINISTRA  
 ONORATIORE  
 REVITER DISSERIT  
 SIMULQVE  
 D AUDIENDAS  
 ATIONES  
 DICTORIAS  
 DRUM JUVENUM  
 XPECTATIONIS OPTIMAE  
 XI. JUNII MDCCCLVI  
 ERIDIE SECUNDA HABENDAS  
 OS ET FAUTORES  
 ANNAEAE VENERABILES  
 A DECET REVERENTIA  
 INVITAT  
 FF CONRAD GOLDSCHAD  
 RECTOR.

DRESDAE  
 NNIS GUILIELMI HARPETERI.

